

10. Prægustus beatitudinis non infert ipsam beatitudinem, sed futuram pollicetur. th. XXIV. seqq. Quod si tamen suaves sunt primitiæ; messis ipsa vero multo magis optima ac dives succedet: tanto magis in nobis vitæ futuræ desiderium crescere fas est.

11. Prægustus V. Æ. lucem spirituales seu cognitionem rerum supernaturalium importat. th. LII. Nisi nativam cœcitatem & corruptionem intellectus agnoscas, ac temeraria iudicia reprimas, non impetrabis illum.

12. Decet autem illuminatos, ut tanquam filii lucis ambulent, & quotidie mentem excolant scrutinio atque observantia præceptorum Dei.

13. Amorem Dei importat prægustus ille. th. LIII. Morietur ergo in nobis *Φιλανθία* inordinata, amor mundi ac deliciarum ejus.

14. Spem quoque firmiorem beatitudinis ille confert. th. LIII. Hanc ut impetremus, necesse est, ut de nobis ipsis desperemus, nostræ dignitati virtutique nihil tribuamus.

15. Cæterum ne angamur dispendio bonorum hujus vitæ fugacium, quando spes certa superest perfectiorum ac perennium secutorum.

16. Gaudet animus prægustans beatitudinem. th. LIV. Ideoque absorbendæ sunt vitæ præsentis amaritudines. Neque fas est, ut indulgeamus doloribus mundi, qui mortem afferunt: sed quasi dolentes, semper gaudeamus.

17. Potiri Deo in hac vita per fidem licet. th. LV. At servare, ne perdas, quotidianæ sollicitudinis res est.

18. Frui quoque illo per amorem, & in eo conquiescere contingit. th. ead. At cavendum, ne curis hujus sæculi quies turbetur ac desinat.

19. Dantur gradus prægustus V. Æ. th. LX. Sed prima optantem, pium est in secundis tertiisque, ex voluntate Dei, consistere.

20. Mo.